UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Maria, Martha, & Lazarus eundem Christum quomodo diligere debeamus instruunt. ca. 17.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50572

Visual Library

MARIA, MARTHA ET LAZArus eundem Chriſtum quomodo diligere debeamus inſtruunt.

CAPVT XVII.

NEc omittendum eſt par ſororum, & frater Lazarus qui in Chriſti Domini amore & feruenti, & perfecto excelluerunt.

Et Maria quidem Domini IESV celebris amatrix ad bonitatis eius & miſericordiæ promulgandam gloriam impendit, non externa tantùm bona ſua, ſed ſeipſum, crines, oculos, lachrymas, famam etiam & hominum exiſtimationem, cùm ad eum, vt gratiæ fontem, & remiſſionis authorem in conuiuio celebri

S. Magdalena.

Luc. 7.

venit,

venit, vnde & audiuit; dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. O vera & multa dilectio, quæ ſui oblita totum quod habet in dilecti bonum tam largiter, tam
Ioan. 12
integrè effudit, & domum illam totam non magis vnguēti, quam amoris impleuit odore. Quid dicam de Chriſti morte? quid de ſepultura? quid de reſurrectione? ac deniq; de tota vita feruentiſſimè huius amatricis Chriſti, quæ nullo vnquam momento Domini ſui memoriam, & corporalem præſentiā quam ipſe Dominvs ſæpe ei re ipſa exhibebat, dicitur amiſiſſe.

Nec

Nec verò minus forte diligebat Martha Ieſum à quo ipſa diligebatur, nam diligebat Ieſus & Martham & ſororem eius, & Lazarum; de quo duę ſorores, ecce inquiunt quem amas infirmatur. Dilectionis ſignum fuit quod Dominum ſæpe recipiebant hoſpitio, & pro eo affectu Martha ſollicita erat & turbabatur erga plurima, vt tanto hoſpiti pararet dignum conuiuium, idque, quod amorem etiam maiorem declarat, eo tempore quo Iudæi iam conſpirauerant in CHRISTVM & decreuerãt extra ſynagogam ferri qui eum confeſſus fuiſſet. Quare etiam cogitarunt & Lazarum

S. Matthæus.
Ioan 11.
ibid.

inter-

Ioan. 9. interficere, fidelis certè & ve-
Ioan. 52. rus totius huius ſanctæ fami-
liæ in Chriſtum amor, qui &
bona & vitam pro ipſo negli-
Ioan. 11. git, propter quē merito Chri-
ſtus illos diligebat: vnde cùm
ſuſcitaturus Lazarum fleret,
dicebant Iudæi; ecce quomo-
do diligebat eum; eſt certè
valde veriſimile neminem
poſt Apoſtolos adeo feruen-
ter à CHRISTO eſſe dilectum,
quod colligitur ex eo quod
Chriſtus ad gloriam ſuam ma
nifeſtandam vſus fuerit præ-
cipuè hac familia, & omnium
maximum miraculum circa
Ibid. Lazarum, rogatus à duabus
ſororibus fecerit. Ideo audita
eius infirmitate IESVS ait, In-

firmi-

firmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Quæ igitur tam excellenter gloriæ ſeruiuit Chriſti, valde veriſimile eſt eum etiam excellenter dilexiſſe.

Quis mihi dabit ô bone Ieſu, ita te diligere, vt tu verè in me, vt in amatore tuo confidas, & non verearis pro gloria tua affligere me prout libuerit morbis, perſecutionibus, morte ipſa, vt & tu in me hîc & in æternum glorificeris.

SANCTI ALII CHRISTI DOmini amatores.

CAPVT XVIII.

NON eſt animus texere catalogum omnium a-